



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decreta Generalia A Reuerend. D. Hieronymo Episcopo Famaugustae,
Apostolico Visitatore Sanctae Mediol. Ecclesi[a]e confecta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

DECRETA GENERALIA VISITATORIS APOSTOLICI

IN SYNODO DIOECESANA

MEDIOLANENSI V.

Iussu Illustriss. & Reuerendiss. Caroli Cardinalis Archiepiscopi
De suggestu lecta, & promulgata, vt infra.

Carolus S. R. E. Presbyter Card. Tit. S. Praxedis, Dei, & Aposto-
lica sedis gratia S. Mediol. Eccl. Archiep.

Præfatio ad lectionem decretorum Visita-
toris Apostolici.



ICVT vtile saluta-
reque est, ac necessa-
riū visitādi manus-
ita illud in vrbe dig-
cessiq; nostra Medio-
lanensi Visitator A-
postolicus Reueren-
dissimus Episcopus Famaugustanus vti-
liter accuratēq; præstitit. Quare vt cum
urbis diœcesisq; nostræ utilitati atque
spiritualibus pgressionibus seruiamus;
tum maximè etiā satisfaciamus, & debi-
to obedientiæ officio, & piæ vigilantis
illius Episcopi sollicitudini, & ardenti
desiderio, quo decreta illa exequendi te-
nemur: vobis vniuersis, & singulis, per
quos illorum executio diligenter præ-
standa est, ea ipsa decreta iam pridè vo-
bis edita, in hoc diœcesano conuentu
etiā atque etiā studiosè repēti incul-
cariq; mandauimus.

DECRETA GENERALIA

A Reuerend. D. Hieronymo Epi-
scopo Famaugustæ, Apostoli-
co Visitatore Sanctæ Me-
diol. Ecclesiæ con-
fecta.

Quibus tamen de particularibus Decre-
tis nihil derogatur. in ijs scilicet, in
quibus contra, non præter ipsa gene-
ralia quidquam statuitur.

QVÆ AD CVLTVM
Ecclesiarum pertinent.

SACER FON S.

NON baptizetur in ijs Ecclesijs,
in quibus sacer Fons nullus est.

Sex verò mensium spatio transacto &
Decretorum horum editione, non bap-
tizetur in ijs sacris Fontibus, qui infra
notata sigillatim descripta non habe-
bunt: sed ad viciniorem Ecclesiam eius-
dem Portæ, vel Regionis in vrbe, Ple-
bis autem in Diœcesi infantes deferen-
tur ad baptizandū, in qua Ecclesia Fons
ipse ad eam formam erit redactus:
Quod si nullus in ipsa Plebe, aut Regio-
ne Urbis eiusmodi Fons reperietur (ab
eadem Plebe, aut Regione, nisi aliter
aliquando Reuerendissimo Archiepi-
scopo videbitur, non recedendo) in eo
Fonte interea baptizetur, qui Vicarij
Foranei in Diœcesi, in Vrbe verò Præ-
fecti Portæ, vel alterius ad id electi à
Reuerendissimo Archiepiscopo iudi-
cio, plura, ac potiora habebit ex re-
quisitis.

Quæ quidem hæc sunt.

1 Petra, non lateritia, sed è marmo-
re constans, vel è solido lapide: si qua
verò eiusmodi Petra reperietur, qua
tuta non sit, & aqua effluat, Vas in ea

L 3 ram-

ramneum stannatum ponatur, quod eiusdem magnitudinis sit, ac petra ipsa: eam que strictim vndiq; & aptè tangat, eiq; coniunctim adhaereat; atque id, donec petra alia tuta comparetur; quod erit curandum, vt quamprimum fiat.

2 Operimentum, quod Ciborium appellatur.

Atq; id quidem quacumq; forma sit, locum aptum habeat ad Sancta olea, atq; alias res ad baptizandum necessarias commodè asseruandas.

3 Tabella intra Ciborium, ac Fontem ipsum collocata, Fontis ipsius ostiū claudens: quæ quidem Tabella in ijs tantum modo Baptisterijs desiderabitur, quæ lapide adeo magno constabunt, vt licet eius medieta a Tabellæ ipsius parte, quæ immobilis est, occupetur; satis tamen abundè locus relinquatur ad infantis caput immergendum.

4 Conopœum, quo Ciborium ipsum aptè tegatur.

5 Septum; quod si per facultates, Reuerendissimi Archiepiscopi, vel eius cui id muneris ipse dederit, iudicio, ferreū, vel lapideum esse non poterit, eiusdem scripta facultate ligneum construatur.

6 Tegmen, vbi Baptisteriū extra Nicciam sit, vel Cappellam fornicatam; quod quidem tegmen ex asseribus etiam poterit constare; vel tela decenter picta.

Verum in parietis concavitate ad hemicycli speciem (quæ Niccia, vt supra vulgè dicitur,) vel in Cappella Baptisterium ipsum multò decentius consistet: quam Nicciam, seu Cappellam, qui se obligarint constructuros, anni etiam illis terminus a Reuerendis Archiepiscopo concedi possit.

7 Sacrarium, quod omnino iuxta ipsum Fontem sit in pariete excavatum; vel in columella iuxta ipsum Fontem erecta, vt eodem Opto plane; & Fons ipse, & Sacrarium concludatur.

8 Pictura in pariete Sancti Ioannis Christum Dominum baptizantis: eò ornatio atq; decentior, quod erit Ecclesia ipsa insignior.

9 Collocatus ipse Fons sacer sit à sinistris in Ecclesia ingressu.

Verum tractatur de ea re accuratius

in libello, quem confecit Illustriss. Ordinarium ex Concilij Prouincialis Decreto, de rebus Ecclesiæ materialibus; ad quorum exactam formam Baptisteria ipsa omnia erunt vtique redigenda:

Atque vt id facilius etiam intelligatur, & habeat vnusquisque vnde sibi exemplum sumat; ponatur ad earum instructionum præscriptum Fontis ipsius exemplar in Cathedralis Ecclesiæ Sacristia.

Ac in Plebibus quidem, & alijs insignibus Ecclesijs (vt par est) multò ornatio, & celebriori etiam forma quam in cæteris, Fons ipse desiderabitur. Curretur autem, vt tam Baptisterij, quam Sacrarij, amplioris antiqua forma (cuius nunc aliqua alicubi apparent vetustigia) retineatur, ac restituatur.

In Ecclesijs autem Diocesis huius, quæ ritu Romano vtuntur, pari ratione procedatur: sed Tabella illa ostiū Fontis claudens, in his planè requiritur: siquidem in his per infusionem, non per immersionem baptizatur: Sacrarij autem forma non erit eadem; sed ea pro ecclesiarum conditione demonstratur in generalibus Instructionibus superscriptis.

Præter Sacrarium ipsum sacro Fonti adjunctum, alterum etiam in Parochialibus Ecclesijs, atque etiam in Collegiatis, & cæteris omnibus, in quibus frequenter solet celebrari, erit construendum iuxta Generales ipsas Instructiones.

Antiqua Sacraia, quæ ad formam præscriptam non sunt, vel ad eam formam redigantur, vel omnino tollantur.

Vascula pro sanctis oleis.

DE forma Vasculorum pro Sanctis Oleis, & Sale, & de Cutulis, & Bursis pro eorum custodia, tractatur itè abundè in Instructionibus superscriptis: Verum ponatur materiale eorum Vasculorum itidem exemplar in Cathedralis ipsius Ecclesiæ Sacristia.

Vasculum Olei infirmorum alibi non teneatur quam in Ecclesia, fenestella ad præscriptū Concilij Prouincialis III. constructa.

Tit. quæ de sacramentalia, & sacra. pag. 91. §. Sacrum pro sacra.

Qui-

Quibus verò ex eodem Concilio alio quando domi habere ipsum Sanctum Oleum permittitur, fenestellam ipsi loco decenti in eadem domo construunt, ut in honore custodiantur.

Alia Vascula in ipso Sacri Fontis Ciborio, ut supra dictum est, erunt asseruanda cum Sale.

ALTA RE.

Altare vnumquodque esse debet huiusmodi necessarium.

L Apideum, vel saltem lateritium, ita extructum, aut reconditum, ut fenestella, foramenve nulla ex parte relinquatur, vbi quidquam asseruari possit, aut recondi, nisi forte reliquæ sanctorum sint: sed si columellis erit suffultum, neque in eo quidquam subitus ponatur.

Altitudinis à Scabello ligneo, vel Bradella cubitis duobus vncijs octo sit; longitudinis verò vtique ad minus cubitis quatuor, latitudinis item saltem cubitis duobus.

Hæc autem habeat omnino.

1 Iconam, vel saltè picturam in pariete.

2 Crucem.

3 Candelabra saltem duo.

4 Cartulam cum secretis è regione positam Sacerdotis celebrantis.

5 Petram sacratam (si mensa ipsa consecrata non sit) mensæ ipsius medio aptè inferram. Mensæ autem vnicuique non consecrata tabula lignea superponatur, quæ mensam ipsam totam contegat, in eaq; sacrata Petra inserta sit: consecrata verò Mensa tela cerata cooperiatur, quæ totam ipsam Mensam tegat, etiam si ex parte lateritia sit.

Petra ipsæ sacratæ ad annum permittuntur, quæ longitudinis vnciarum xiiii.

latitudinis verò x. saltem sint; quæ verò longitudinis xvj. paulò verò maioris latitudinis erunt, ad biennium; quæ autem xviii. longitudine, latitudine autem paulò item maiores erunt, ad triennium: sed transacto triennio permittitur nulla, quæ prescriptæ magnitudinis, vnciarum scilicet viginti in longitudine, sexdecim in latitudine non re-

perietur, præter capsæ cui inserta erit, dimensionem.

Quæ minores sunt prima tolerata mensura, frangantur statim, reliquæ quæ in eis inuentur, honestè asseruatis.

6 Tobaleas tres, quarum vna ad planum vsq; pertingat, aliæ duæ, quæ diuisæ sint, totam mensam contegant.

Totidem Tobaleas præterea esse debent, ut possint mutari, cum erunt purganda.

7 Puluinar vnum paruulum pro Missali in Altare fulciendo.

8 Telam viridè, aut alterius coloris, ad Tobaleas à puluere defendendas.

9 Telare ligneum vulgò appellatum, cui pallium possit commodè affigi.

10 Pallium decens, quod tamen non idem semper esse debet.

11 Scabellum ligneum, vulgò Bradellam, quæ à fronte Altaris cubitos saltè duo producta latè pateat.

12 Teginen ex ascribus, aut tela carulea honestè picta confectum, vbi fornix non est, qui totum Altare tegat, aut ei adeo proximus, ut sepe purgari faciliè, & commodè possit.

13 Fenestellam in pariete à parte Epistolæ aptè constructam, ad aquam excipiendam abluitionis manuum Sacerdotis celebrantis, & ad peluim cum Vreolis collocandam.

14 Septum ferreum, vel lapideum, altitudinis cubitorum circiter trium, aut (si ita Reuerendiss. Archiepiscopo videbitur, vel in Visitatione ita cautum sit) ligneum; quod quidem ligneum ex altitudine, & forma etiam poterit confiri, ut ad illud possint commodè genua flexi.

Inter septum autem, & altare (non tamen maius) id spatij sit, ut clerico ministri loci relinquantur, Missam audientibus non item: distet verò omnino septum ipsam à scabello ligneo saltem cubito vno vncijs octo: & quamuis interuallum illud paulò esset maius, eò tamen Missam audientibus non erit permittendus ingressus.

In ijs autem Cappellis, quæ quidem habent septum, sed longè distans ab Altari, sepes altera erit apponenda.

In Altaribus verò maioribus pro situ

L 4 capa-

capacitate spatium ipsum esse debet; sed planè huiusmodi, vt Missis maioribus possit commodè ministrari.

15. Tinnabulum, vel appensum ad Altare, vel certè è Sacrificia delatum.

Sex mensum spatio transacto à Decretorum horum euulgatione, in ijs altariis non celebretur, quæ ad præscriptam formam non erunt redacta, iisque omnibus rebus instructa, quæ supra declarata sunt; etiam si maiora altaria sint.

In quibus autem Ecclesijs plura altaria sunt, in eo celebretur, (licet maius non sit) quod ad præscriptam formam erit redactum; quod si nullum in ipsa Ecclesia erit eiusmodi, in eo celebretur, quod Vicarij Foranei, vel alterius ad id deputati à Reuerendis Archiepiscopo in Diocesi; in ciuitate verò Prefecti Portæ, vel alterius eidem deputati iudicio; In Regularibus autem Ecclesijs, eiusdè Ecclesiæ superioris sententia, ad ipsam formam magis accedet, eamq; plus imitabitur, atque exprimet: Anno verò elapso Altaria omnia demoliantur, quæ supradicta requisita non habebunt; præter maius, quod curetur omni ratione, vt ad formam primo quoque tempore redigatur, Ecclesiæ ipsius Syndicos, curatoresve, si qui sunt, ab Ecclesiæ ingressu prohibendo, Ecclesiam ipsam interdicens, Rectorem multando, atque etiam à Missæ celebratione suspendendo, aliaque huiusmodi respectiue agendo; quæ Reuerendis Archiepiscopo videbuntur expedire.

Quod idem fiat sex mensum tantum transacto termino, in ijs Ecclesijs, in quibus Altare maius vnicum est.

In Regularium autem Ecclesijs si id præstabitur, Reuerendis Archiepiscopi manus sit, Superiores ea de re admonere, & duorum mensum elapso termino, si ea admonitio non proderit, id ad Sanctissimum D. Nostrum omnino referre.

In quo Reuerendissimæ ipsius Dominationis conscientia uehementer oneratur. Liberum autem atque integrum sit Reuerendis, ipsi Archiepiscopo, & Regularium Superioribus Prouincialibus, anni spatium suprascriptum Altaria ad formam non redacta demolendi, ad sex

præterea menses protrahere, si ante euentur publico instrumento idoneè, id eo termino omnino præstandum.

Quod si Altare aliquod reperietur, cui Nicciam quis vulgò appellatam ad Emycieti speciem in parietis concauitate ad formam velis construere, aut fortasse Cappellam integram ædificare; secundus ad id annus concedi possit, præstita cautione suprascripta.

Neq; Altare vllum in posterum ædificetur, veli quidquam desit ex suprascriptis requisitis; quoq; præterea non habeat iuxta Instructiones generales, Calicè, & alia instrumenta, paramenta, & ornamenta congrua ad Missam celebrandam; vel idoneè publico instrumento cautum sit, infra biennium ad summum fore, vt ea componantur.

Altare vnum quodq; statim amoueat, quod subter Suggestum, aut Organum, aut ad columnam, vel Pilam ædificatum sit, aut aduersum sit Altari maioris; neque in posterum Altare vllum in locis eiusmodi ædificetur, aut quod alteri Altari, præsertim maiori, nimis propinquum, aut vbi septum commodè non admittat, atque Ecclesiam vllò modo impediat, vel planè non respondeat formæ, & regulis præscriptis in generalibus Instructionibus suprascriptis.

Obligaciones atq; onera quæ Altari alicui imminet, adimpleantur, interea ad Altare illud, in quo subscripta ratione poterit celebrari.

Quæ obligaciones autem, & onera, item emolumenta quæcunq; atq; etiam Tituli altarium, quæ vel ià amota sunt, vel amouebuntur, particularibus, vel generalibus huius Visitationis decretis, transferantur ad alia Altaria iam constructa vel construenda in eadem Ecclesia, quæ Reuerendis Archiepiscopus, vel Regularis Superior censuerit.

Quod si Altare aliquod eù dote, vel legato reperietur huiusmodi, quod Reueren. Archiepiscopo, vel Prouinciali Regulari videbitur ornatum afferre Ecclesiæ, neq; esse demoliendum, sed omnino instruendum; neq; ratio alia appareat id faciendi; subtrahi possit interea, vel totum, vel aliqua ex parte seruitium, & ea pecunia ipsi instructioni applicetur.

Verbum

Verum si redditus debiti seruitij necessariam impensam superabunt, totum illud quod superabundat, ad hanc impensam transferatur: Atque id, nisi nominatim aliter in ipsa Visitatione cautum, iustum sit, aut aliter Reuerendiss. Archiepiscopo videbitur, & Regularium Prouincialibus iusta de causa; qui etiam rationem habeant aliorum onerum, si qua eidem Altari nominatim incumbunt.

SACRISTIA.

HAEC habeat Sacristia vnaqueque; Armarium, vel Vestiarium ad Paramenta conseruanda: ipsa verò Paramenta eiusmodi, quae iuxta instructiones generales à Reuerendiss. Archiepiscopo ex Decreto Prouincialis Concilij cōiectas, pro Ecclesiae, aut Cappellae, atque etiam altarium facultate requiruntur. Idem dicitur de Missalibus, de Calicibus, Patenis, velis pro ipsis Calicibus cooperiendis, & sacculo pro ijs reponendis, Corporalibus, Purificatorijs; quae omnia ad praescriptam eisdem regulis formam & mensuram sint, neque Vas desit ad ea lauanda ramneum stannatum; sed ex Aurichalcho, vbi facultates suppetunt; neque item Peluiculae, & Vrceoli desiderentur: Non adhibeantur autem in Sacrificio Vrceoli argentei, vel ex alia materia, vt apparere extra clarè non possit aquae & vini color. Non desint item in Parochialibus Thuribulum cum Nauicula, & Cochleari, & Situlus pro aqua benedicta cum Aspersorio, & Pocula vitrea ad dandam Purificationem; quae nullo modo detur Calice.

Oratorium separato quantū fieri poterit loco positum, atque disincto, in quo possit Sacerdos in solitudine se colligere, & orare; vt dicitur inferius, cum de ipsis Sacerdotibus, & Missa agetur: Ad ipsum verò Oratorium in pariete Orationes ad id propriae affixae sint.

Labellum cum Manutergio appenso ad manus abluendas & abstergendas ante & post Missae celebrationem.

Cartulam cum orationibus sacro vnicuique indumento accommodatis; quas attentè recitet Sacerdos, cum sacras ipsas vestes induit, & exiit.

Tabellam appensam in pariete cum

descriptis oneribus Missarum, & Annularium omnium, quae illi incumbunt Ecclesiae; & quo die vnumquodque erit persolandum.

Librum pro Missis annotandis ad praescriptam regulam, vt in singulos dies celebrantur.

Silentij nomē appensum magnis literis; quod seruetur vtique, omnis verbis omnibus, quae necessariorum in eo loco proferenda non sunt; quod re ipsa omnino praestetur.

Ligneum ostium (vbi id comode fieri poterit) extrinsecus communi ostio appositum, quod pondere appenso, ex se ipso pessulo claudatur; fenestellamque habeat clavis ferreis septa, vnde laici homines possint, si quid velint, è Sacristia quaerere; quibus laicis eò patere ingressus nisi vrgenti necessitate non debeat. Vbi verò ostium ipsum extrinsecus fieri non poterit, fenestella ipsa omnino aperiat ad praescriptam formam in communi ostio.

Decebet autem, vt in Sacristia insignium praesertim Ecclesiarum, si tapetia desint, crata lignea pauimento ipsi superponatur, in qua Sacerdos stans sacras vestes induat.

Hostiae à laico homine nullo conficiantur.

Vbi in visitatione locus Sacristiae constructioni expressè assignatus non est, priusquam ea edificetur, forma accipiat à Reuerendiss. Archiepiscopo.

TABERNA CVLVM LIGNEVM
pro Sanctissimo Sacramento
conseruando.

PANNO serico ab intus ornatū sit.

Conopeo decenti pro Ecclesiarum facultate contentum.

Benè, ac tutò clausum: cuius clavis à nemine, quam à Rectore teneatur.

Ita aptatum, vt ex eo possit Sanctissima ipsa Eucharistia commodè extrahi, neque super Altare propterea ascendendum sit.

Vacuum à Reliquijs, vasculo Olei infirmorum, atque etiam inani Vase; vt omnino nihil aliud ibi conseruetur, quam Sanctissima Eucharistia.

De-

Decebit autem, vt lampas è regione non à latere præluceat.

Antiquæ custodię in pariete Sanctissimi Sacramenti penitus amoueantur; vel signo omnino deleto, in alios vsus adhibeantur, vt Reliquiarum, aut Olei infirmorum, ad præscriptam formam aptata.

TABERNACVLVM PRO faciendis Processionibus.

CLARO vitro vndiq; circumdatū sit. Lunulam habeat, in qua Sanctissima Eucharistia inseritur, huiusmodi, vt possit commodè aperiri, & fragmenta colligi, si qua fortè ibi relicta sint: Ipsa autē Lunula, & Basis, & Scutulus saltem ex argento confect.

Ponatur verò in ipsa itidem Cathedralis Ecclesiæ Sacristia Lunulæ huius materialis forma.

P I X I S.

A Tabernaculo supradicto disuncta sit, & ad formam conflata, ex argēto inaurata; quæ forma itidem ponatur in eadem Cathedralis Ecclesiæ Sacristia.

Duas Pixides vnaqueq; Parochialis Ecclesia saltem habet, alteram maioris formæ pro communione generali, alteram minoris pro Sanctissimo Sacramēto ad infirmos deferendo.

Pro qua Pixide ad infirmos ipsos deferenda, Bursa à Parocho vnoquoq; per Diocesim habeatur ornata, cum opus fuerit, adhibenda.

R E L I Q V I A R V M.

Reliquiæ in honore conseruetur in Reliquiario pro Ecclesiarū facultatibus, & dignitate constructo, ad formam Generalibus instructionibus demonstratam.

SANCTISS. CRVCIFIXI imago.

Ecclēsia nulla sit, quæ Sanctiss. Crucifixi imaginem sculptam non habeat, loco conspicuo inter Altare maius & populum; sed eò ornatiorem, quò Ecclesia ipsa erit insignior.

CONFESSIO N A L E

Parochialis vnaqueq; Ecclesia, itē singula Parochiali annexa, in qua audiendi confessiones soleant, Confessionale vnum saltē habeat; duo verò, quæ ultra quadringentas animas curat.

Ecclesiæ verò etiam non Parochiales, tam seculares, quàm Regulares, quæ plures Confessarios habere consueverunt, tot Confessionalia habeant, quot Confessarios.

Confessionalis ipsius perfecta forma in Cathedrali Ecclesia poterit cognosci; ad quam vniuersusque suum redigat, in Vrbe trium mensium ad summū spatium, in Diocesi verò sex; qui terminus possit à Reuerendis Archiepiscopo protrahi ad tres menses in pauperibus Diocesis Ecclesijs.

In ipso Confessionali affixa itidem sit Bulla in Coena Domini, vel eius transumptus; Notula casuum reseruatorum Reuerendis Archiepiscopo; Forma absolutiois; & Orationes quædam piæ ad id impressæ; quæ omnia in ipsdem Cathedrali Ecclesiæ Confessionalibus conspiciantur.

Eo termino transacto, qui mulierum confessiones in Ecclesia audierit, etiam si Regularis sit, non constituitur ad eam formam Confessionalibus, vel saltē non habentibus, quæ in eis potissima sunt, vt asseres, & laminam, Confessarium à femina honestè ac tuto iudicio Reuerendis Archiepiscopi diuidentes; à Confessarij munere ipso facto suspensus sit, quoadusque Reuerendis Archiepiscopo videbitur.

Idem sancitur, si quis in his Confessionalibus mulieres audiendo, eas genuflexas habuerit è conspectu sedis suæ, non loco à latere penitenti constituto.

Confessionale autem ipsū loco aperto atque conspicuo sit in omnium oculis collocatum, vt & Confessarius, & cōstitens possit ab vnoquoq; facile cōspici.

V A S P R O A Q V A

Benedicta.

In Ecclesia sit, non extra. In ingressu Ecclesiæ, & ad Portam vnamquamq; à dextris, non à sinistris introeuntium.

Mat-

Marmore cōstet, vel petra solida, non lateritia.

Columella, vel alia Basē suffultum sit. Aspersorium decens habeat appensum, non ex spongia, sed è setis confectum.

F E N E S T R A E.

NVlla permittatur fenestra, ex qua foris stans Missam quis possit videre, sed inædificentur omnes duorum ad summum mensium spatium; alioquin Ecclesie ipsæ interdicanur, donec id prestitum sit.

Fenestræ omnes vitro, vel saltem tela contextæ sint, atque etiam clatræ, pferim in Parochialibus, nisi altæ admodum sint: Opportunum autè videretur, vt rete etiam ramni, vel saltem fili essent contextæ, nè in Ecclesiam possent aues intrare, & nidos construere; quos nidos nihilominus amoveat statim Rector, sub pena scutorum sex, sodalitati Sanctissimi Sacramenti applicandorū.

S E P V L C R A

Marmore, vel petra solida contexta sint duplici, vel saltem vnica, ita aptè vtiq; atque compressè, vt inde malus odor exire nullo modo possit: atque id trium ad summum mensium spatium: quo termino transacto, Sepulcra omnia in quibus id non erit prestitum, humo impleantur adæquato solo, & nullus in illis amplius non sepeliatur.

In posterum verò nulla in Ecclesijs Sepulcra ædificentur, nisi ostiū illarum duplici petra obstruatur, octo inter se vncijs distante; & murus inter vtrâq; partem ponatur, quò tior à fœtore reddatur Ecclesia.

Petra autem ipsa ostij æqualis vnde qua que sit, neq; figuram vllâ, aut insculptas literas, vel aliud quidquam habeat, quod superemineat ac superestet.

Sepulcrum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longè absit ab Altaris Scabello ligneo, vel Bradella, cubitis ad minus tribus: Sepulcra verò ipsa ad Scabellum ligneum non pertingat.

Verùm curetur omni ratione, vt antiquus, ac probatissimus mos sepeliendi

in Cœmeterijs in vsum reuocetur: neq; Sepulcra noua in Ecclesijs ædificentur absque licentia in scriptis obtenta à Reuerendissimo Archiepiscopo: In Regularium verò ecclesijs, saltem à Reuerendo Patre Prouinciali: qui eiusmodi licentiam dare nõ possit, nisi ea Sepulcra ad præscriptam formam construantur.

C O E M E T E R I A.

TVTO clausa sint cœmeteria omnia, & in eorum ingressu crata ferrea, vel saltem lignea apponatur, vt in ea brutis impediatur accessus, quòd si ratio posset iniri, vt etiam canes arcerentur, præclare actum videretur.

Vites, arboresq; omnes fructifere è Cœmeterijs omnibus extirpentur, atq; benè illa purgentur; idq; fiat duorum ad summum mensium spatium, sub pœna Rectori ipsi Reuerendiss. Archiepiscopi arbitrio.

Campestrium & aliarum ruraliū Ecclesiarum clauēs à Parocho teneantur, nisi alij id à Reuerendiss. Archiepiscopo committatur; neque in illis quidquã profani reponatur; cureturq; omni ratione, vt clauēs seruentur: Quòd si omni conatu & diligentia, ac censura etiam ecclesiastica, & temporalis malèta adhibita, id non poterit obtineri, & pro stabulis, vel alijs vsibus indecentibus illè omnino dignoscatur inferuire (vt in visitatione alicubi cognitum est:) satius videtur esse, vt demolirentur, quàm vt diutius permitteretur, ad vsus eas tam sordidos ac inhonestos adhiberi.

Si verò quidquam habebunt Ecclesie huiusmodi in redditu, ea pecunia ad earum clausuram potissimum tuendam infumatur.

Decernitur autem, & declaratur ex nunc, pauperibus loci Vicarij foranei iudicio diuidendum, quidquid profani in huiusmodi, atque etiam in alijs quibusuis Ecclesijs reperietur.

Hæc de materialibus Ecclesiarum rebus collecta sunt, in quibus peccari frequentius cognitum est in visitatione: Plura verò, atq; exactiora ab Illustriss. Ordinario animaduersa atq; comprehensa sunt in superscripto libello, quem de

de ea re confecit ex Prouincialis Concilij Decreto; ad quem libellū hęc quoque omnia referantur, eaq; ad expressam in eo rationem & formam perficiantur: & item ea, quę ab Illustrissimo ipso Ordinario in suis iam peractis visitationibus decreta sunt, & in hac Visitatio ne comprobantur.

MENSURA Cubiti de qua in his Decretis agitur, quę vncijs xxiii. constat.

Eius Cubiti quarta pars trāuersa hac linea describitur, sex vncijs dispartita.

QUAE PERTINENT
Ad Clerum.

ETSI ea est Cleri huius Mediolanensis, tum in Diuino cultu, Ecclesiasticisq; muneribus; tum in domesticis moribus, atque institutis disciplina; vt eius nequaquam poenitendum sit: tamen cum nonnullis in rebus multorum studium ac diligentia desiderata fuerit, in paren do salutaribus iamdiu ab Illustriss. Ordinario p̄scriptis, & frequenter in nouatis monitis atque p̄ceptis, Quędam visa sunt hoc loco colligenda, in quibus cognitum est peccari crebrius, vt planē vitentur in posterum; & nouę etiam rationes ineantur ab eodem Illustriss. Ordinario, vt p̄ceptis illis ac monitis omnino obtemperetur.

Missę ne omittantur, quę tum proprio Parochiæ munere, tum ex Altariū, aut Cappellarum institutione, aut quouis legato, aliove nomine, celebrandę sunt. Quod si maius sibi aliquis onus ex institutione, aut legatis impostum sentiat, quā vt ferre videatur posse: non sibi ipsi ea in re ius dicat, sed ad Reuerēdiss. Archiepiscopum cōfugiat, qui onus ipsum legitime subleuabit.

Idem dicitur de Annualibus.

Habeat Parochus vnusquisq; requiros libros, atque etiam ex Spiritualibus aliquem; qui si à Clerico in Mēsa quoq; priuata legeretur, optimē factum videretur: sed Benedictio Mensę ipsius, ac postea gratiarum actio neutiquam omit tatur.

Libri autem ipsi tractentur, & statim lectioes frequenter, & Congregationes; incumbaturq; omni ratione in se crarum literarum studia, & in deuotionis ac pietatis spiritum acquirendum.

Festis diebus Parochus nullus sit, qui populum suum in Missa nō colloquatur, aut (si ad id idoneus non sit, donec Coadiutorē eo in munere habeat) è libro saltem recitet aliquid, quod ab omnibus intellectum, eorum animos ad amorem Dei, & proximi dilectionem posse fit accendere.

Quamobrem qui recitabit, id, quod lecturus est, ante solus diligenter cognoscat, eiusq; sensum percipiat; quem si libro dimisso postea suis verbis explicaret, magis Populo absque dubio prodesset: Populum verò alloquendi nulla potest vtilior excogitari ratio, quā si Euangelium ipsum interpretetur; cuius explicatio, & interpretatio ipsi facilior erit, & auditoribus fructuosior, si libro Euangeliorum ante Sacerdotem collocato, Euangelium Lector (cuius id proprium munus est) si adsit; sin minus, Clericus (dum commodē legat) aut planē Sacerdos ipse, per membra, clausulas, & sententias sedate, distinctē, atque ex ordine pronunciando, eadem illud ratione exponatur: Verū si quid erit Reuerendiss. Archiepiscopi iussu in Missa enunciandum, aut è scripto recitandum, id erit faciendum antea; neque supradicta omittenda, si tempus patietur.

Cum sacramentum aliquod administratur in frequentia Populi, eius vim atque virtutem explicare non omittat Sacerdos.

SVM ETIAM MVNS
diligenter obeant Parochi.

IN Ecclesiarum, sacrorumq; Officiorum, ac totius diuini cultus decore ex animo diligendo, atq; eam dilectionem re ipsa comprobando.

In continendo in officio, & deuotione Populum, vt piē ac religiose se gerat in Ecclesia, & à p̄scriptis ea in re legibus non recedat; atque vt mulieres à viris separatę atque disinnctę sint, p̄sertim in P̄dicatione.

In Doctrina Christiana Scholis fouendis, atque augendis; atque in instituendis pecudum, aut iumentorum Pastoribus, cum domi degunt in hys me.

In Choreis publicis, ac ludis Festo die impediendis; In detinendo presertim tunc temporis Populum in Ecclesia, diuinis Officijs, sacris precibus, & pijs sermonibus occupatum.

In Vespertine Orationis probatissimo Instituto retinendo.

In curando, vt vnusquisq; & pauperes etiam male vestiti, qui propterea ingredi Ecclesiam erubescunt; & Pastores ouium, aut iumentorum, Missam audiant Festis diebus, idq; in Parochiali propria: Munusq; sit Reuerendissimi Archiepiscopi operam dare, Romani etiam Pontificis implorata si opus sit auctoritate, vt impedimenta amoueantur, si que obfent Decreto huic saluberrimo, de Missa audienda ab vnoquoq; in propria Parochiali Festo die. quæ Missa opportuno tempore celebretur, neq; ad cuiusuis auctoritatem differatur: sed in quibus Parochialibus Ecclesijs plures Missæ celebrantur, vna celebretur in Aurora quoti die, nisi Festis diebus ea re Populus a Predicatione cognoscatur auerti.

In bene instruendo atque erudiendo, qui primùm ad Sanctissimam Communionem accedunt.

In non admittendo ad tenendum infantem in Baptismo, qui prima Fidei rudimenta ignorat.

In Baptizatorum ipsorum, & compatrium nomina, item Matrimonia contractantium annotando; & Statum Animarum conficiendo ad prescriptam formam; ipsosq; libros statuti temporibus deferendo in Archiuium Archiepiscopale.

In Medicos admonendo, & ludi Magistros, vt salutaribus Apostolicis, & Provincialibus Constitutionibus; quæ eos tangunt, obediant.

In Hæreticis hominibus, aut suspectis heresis peruestigandis, eorumq; nominibus infra statutum terminum deferendis, & omni adhibenda diligentia, ne aut vicinitas, aut conuersatio sanos officiat.

In describendo singulis annis viginti

fos suæ curæ commissos doli capaces; & in non administrando in Paschate Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, nisi confessis sibi, aut alicui ex Confessarijs approbatis: de qua Confessione fidè scripta ferant: quam fidem Confessarij omnes promptè faciant; & apud se etiã nomina confitentium describant, vt multis fraudibus occurratur.

Missæ celebretur, non quasi ex consuetudine, sed magna cum attentione, & deuotione, sedate, tranquille, leniter; vt spiritualem, ac diuinam rem agi omnes cognoscant.

In Missa nihil addatur, vel omittatur, Sacerdosq; ad id bene instructus in vna quaq; Plebe per Diocesim, & in singula Regione per Ciuitatem, iuxta Prouincialis Cõcilij Decretum nominetur; ad quem accedat vnusquisq; vt ceremonias in Missa requisitas bene cognoscat. Dum sacras vestes induit Sacerdos celebraturus, prescriptam indumento vnicuiq; orationem ac preces recitet; item post Missam celebratam: & ante ac post se ipsum colligat, cogitans, quid acturus sit, & egerit.

Missæ verò eodem tempore in Altaribus ita inter se disunctis ac separatis celebrentur, vt alter Sacerdos ab altero non perturbetur, neq; si fieri possit, audiatur: In quo peccari solet maximè, dum Officia pro Defunctis peraguntur; cum Sacerdos vnusquisque more impatiens, quid deceat ea in re, nihil curat: Quod si tempus eo die non patietur, vt Missæ illæ omnes celebrentur, in alteram potius diem differantur aliquæ, quàm vt salubri huic Decreto non pareatur.

Dum autem Missam Reuerendissimus Archiepiscopus celebrat vel publicè vel priuati in Ecclesia, aut Sermonem habet, Missa alia interea in eadem Ecclesia non celebretur, donec Benedictio in fine Missæ impartita sit, nisi aliter aliquando vrgenti de causa eidem Archiepiscopo viderbitur: Hoc idem Institutum induci paulatim poterit in Missis etiam Conuentualibus, ac presertim in Oppidis, & Pagis, & præcipue Festis, ac solenniibus Ecclesiarum ipsarum diebus.

IN COLLEGIATIS ECCLESIIS
seruentur accuratius, quæ in Pro-
vincialibus, & Diocesanis
Synodis ea de re sta-
tuta sunt.

DE hora incipiendi diuinæ officia-
De accedendo, stando, & receden-
do à Choro.

De punctandis absentibus, aut qui ve-
nitum quid in Choro admiserint.

De Missis duabus solenniter celebra-
dis, cum vel ferie, vel diei festi ratio ita
postulat.

De duabus Lectionibus in Missa solenni
cantandis ex Ecclesiæ huius instituto.

De Canonicalibus ædibus habitandis,
earumq; cõmuni porta noctu claudenda.

De Archiuio construendo.

De Lectione Theologica, vel saltem
Grammatices, pro conditione Ecclesia-
rum habenda.

De Baculo in Processionibus à præ-
positis deferendo.

Item de Cappa Præpositis ipsis nu-
per concessa.

De spiritualibus Capitulis celebra-
dis: à quibus qui sine legitimo impedi-
mento abfuerit, diei illius distributio-
nes amittat, quas acquisierit.

De cura diligenti habenda, vt iuxta
Bullam felic. Recor. Pij V. & decreta Ar-
chiepiscopalia, Populus honestè ac reli-
giosè versetur in Ecclesia.

IN SVIS ETIAM MODERANDIS
moribus, & ad præscriptam sibi iam-
diu Regulam conformandis, Cle-
rici diligentes sint.

IN auaritia euitanda, præsertim in fa-
neribus, quo in genere peccatur ma-
iori cum scandalo.

In frugalitate victus sectanda.

In consacerdote non contemnendo,
licet ingenio, vel doctrina inferior sit.
In abstinendo à vestibus vetitis, & colo-
ribus, & à nimia cum Sæcularibus fami-
liaritate, & à vagando per vicus, & Pla-
teas.

In Tonsura deferenda, præsertim la-
biorum.

In se presentando Reuerendiss. Archi-

episcopo, vel eius Vicario, cum è Diocesi
si quis Mediolanum accedit.

Omnino q stat, videat, nè cadat, & q
se aliquid in via Domini profecisse sen-
tiat, gradum non sistat, sed progredien-
do quotidie magis, & vitæ Sacerdotalis
puritatem, ac sanctimoniam plus plusq;
in dies implectendo, ad metam contem-
dat, ad quam non ante coronatur.

Qui ad Subdiaconatus Ordinem promo-
uendi erunt, in tam magna totius suæ vi-
tæ deliberatione omittere nullo modo
debeunt, quin ante ipsam Promotio-
nem generali antea vitæ totius Con-
fessione facta, in spiritualibus exercita-
tionibus saltem per mensem versentur,
duce sibi aliquo ea in re Religioso ac
pio viro & moderatore assumpto, à Re-
uerendiss. Archiepiscopo ad id compro-
bato: quod etiam à Diaconibus omni-
bus planè desideratur, antequam ad Sa-
cerdotij gradum ascendant.

Idem si Sacerdotes etiam facerent, at-
que ij quoque, qui prouectioris ætatis
sunt, magnum inde planè fructum perci-
perent: Valdè item esset vtile, vt Sacer-
dos vnusquisq; atque etiam Clericus tã
in Ciuitate, quàm per Diocesim, certum
ac firmum Confessarium Sacerdotem ha-
beret ex approbato, à quo nisi in ma-
gna necessitate non recederet; si qui deum
animæ solet non minus obesse. Confes-
sarium mutatio, quàm corpori Me-
dicorum.

Functiones sibi assignatas in statutis
Ecclesijs obire vnusquisq; non præter-
mittat; & confiteri præscripto tempore
peccata sua; & Sacram Communionem
sumere, omni pietatis, & in viam salu-
tis progrediendi studio, & fidem habere
scriptam Confessionis, vt eam iuxta præ-
scriptum exhibeat.

Sacerdotes autem in primis Decretum
ipsum de frequenti Confessione facien-
da seruent accuratissimè, Confessarijs
ad eorù confessiones audiendas probatis.

Clericus saltem vnus in vnaquaq; Pa-
rochiali Ecclesia sit, qui à Parocho ipso
non occupetur in vilibus & sordidis do-
mus operibus, quæ ei impedimento sint
ad suum munus exequendum, & literas
addiscendas: cureturq; à Parocho vno-
quoq; quò poterit maiorem puerorù

duode-

numerum ad Ecclesiasticas res, & disciplinam applicare, vt iam omnes admo-
nuit Illustriss. Ordinarius.

Laici non permittantur functiones exercere minorum Ordinum, & merces quæ custodi alicubi assignata est, ei detur, qui spem præbeat in Ecclesiastica via progrediendi.

Atque is etiam habitu vtatur Clericali præsertim in Ecclesia omnino; tota hac in se executioni demandetur Decretum Synodi quartæ Diocesanæ.

Inuentaria bonorum immobilium Ecclesiarum quarumcunq; quæ adhuc delata non sunt, infra annum omnino deferantur in Archiuum Archiepiscopale, iuxta Prouincialis Concilij sanctionem.

Nulla aut Capsula, aut Cutula, aut Vas aliud, aut excavatum lignum, aut aliud quidvis ponatur in Ecclesia, etiam Cathedrali, vel Atrio, quauis occasione, vel causa, ad Eleemosinam recipiendam, nisi de licentia Reuerendiss. Archiepiscopi in scriptis obtenta: tuncq; Capsulae illi, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claues apponantur diuerso fabrilis opere fabricatæ; quarum altera teneatur ab eo, quem ad id Reuerendiss. ipse Archiepiscopus nominarit; altera ab ijs, quorum nomine ea Eleemosina colligetur.

Merces, quæ datur à Populo curatis suis, ita firmetur, vt perpetua sit, & certa; quod Sacerdotes suam ipsi Populo operam præstantes, vt proprijs ouibus præsent, ibiq; suam metem cogitationemq; defigant: quod facere nequitiam poterunt, si ex aliorum nutu pendebunt, ac varijs hominum opinionibus nitentur.

Commune Diocesanorum Sacerdotum, & Clericorum Hospitium Mediolani constituitur, ratione iamdiu excogitata ab Illustriss. Ordinario; vt Cauponæ penitus vitentur, & impensæ etiam Sacerdotum ipsorum consulatur.

QVÆ PERTINENT

Ad Pia Loca.

ADMINISTRATIONIS Sodalitatum, Scholarum, hospitalium, Consortiorum, Congregationum, Fabricæ Ecclesiarum, & Piorum locorum quorumcunq; rationes exhibentur quotannis Reuerendiss. Archiepiscopo, vel ab

eo ad id electo; ab eodemq; Sodalitates, Scholæ, Consortia, Hospitalia, Fabricæ Ecclesiarum, Congregationes, & Pia ipsa loca quæcunq; visitentur iuxta Sacros Canones, & Sancti Tridentini Concilij Decretum: Ipsiq; Administratores, vel Deputati, aut Scholares seruent diligenter Prouincialia Decreta, de Iuramento præstando, de Bonis non alienandis, de Inuentario Bonorum omnium immobilium conficiendo: cuius exemplum Notarij publici auctoritate munitum in Archiuum Archiepiscopale infra annum omnino deferat; tum reliqua præsent, quæ ipsis ab iisdem Concilijs præscribuntur; illudq; in primis, vt in Eleemosinarum distributione, quicunq; id oneris habent, atq; omnes planè in tota ipsa administratione, eam rationem ineant, atque ita se gerant, vt constare facillè possit Reuerendiss. Archiepiscopo, Pia omnia relicta, iuxta testatorum, vel aliorum qui dederunt voluntatem, executioni penitus fuisse demandata.

Librum autem habeant, in quo distinctè & explicatè descripta sint legata omnia, & onera, quæ illis imminet; cuius Libri exemplum, publici item Notarij auctoritate munitum deferant in Archiuum Archiepiscopale; Tabella pterea sit in loco affixa, in quo solent congregari, cum iisdem oneribus, & legatis strictim annotatis, mensium ordine seruato, & rerum ipsarum genere, ad formam Tabellæ illius, quæ à Congregatione Sancti Ioseph nuper impressa est; In quibus quidem libris, & Tabella, ea in dies erant addenda, vel demenda, quæ aut augetur contigerit, aut minuitur.

Nulla modo permittatur, vt Administratores suprascriptæ Fabricæ Ecclesiarum, aut Piorum locorum quorumcunq; vel eorum Procuratores Urbani, vel Rurales, aut eorum filij, vel propinqui, vel alius qui ex illis pèdeat Emphyteosis, locationisve nomine conducat prædia, aut aliud quidvis, quod ad suam administrationem, vel procuracionem pertineat; Si quis autem est qui id fecerit, statim ab ea administratione vel procuracione amoueat, ceteraq; in ea re seruentur, quæ Decreto Prouinciali cauta sunt.

Ips

Ipsi verò Procuratores, animaduertant, nè rerum sibi arrogant imperium, diutius in Procuracione illa perseuerantes: qui, si alioquin erunt idonei, poterunt ad alias prouincias, aliaq; onera transferris.

Sed omnino curetur, vt administracionis suæ rationes frequenter Procuratores ipsi exhibeant; & Formula eis præscribatur, qua Diarios, & Codices tenere possint eiusmodi, vt facile, atque explicatè describatur, & cognoscatur expensæ ratio, & accepti.

Liber separatus habeatur in Capitulo vnoquoque, Fabricæ Ecclesiarum, & Piorum locorum quorumcunq; in quo libro appposito die describantur Propositiones omnes, quæ in ipso Capitulo fiunt, & non obtinentur; vt constare facile possit omni tempore, eas fuisse reiectas.

Decreta omnia, vel Ordinationes, quæ fiunt in Capitulo fabricæ Ecclesiarum, & Piorum ipsorum locorum, exarentur in libro ad id confecto à Cancellario, eisq; subscribatur ab ijs, quorum id munus est, planè ante proximum futurum Capitulum; in quo etiam Decreta illa ab eodem Cancellario recitentur.

Elemosinæ, quæ per capita, non veris pauperibus distribuuntur, inter ipsos pauperes tantummodò erogentur; nisi sex mensium spatio probatum sit Reuerendiss. Archiepiscopo, ita expressè à Te statore fuisse cautum, atq; iustum.

Sodalitates omnes Disciplinatorum Regulam habeant Sodalitatibus huiusmodi ab Illustriss. Ordinario cõscriptâ, & impressâ, eamq; exequi omnino studiantur.

Aliarum item Piarum Sodalitatum, & Confraternitatum Regulæ, ac libri, vel Constitutiones, aut Orationes, à Reuerendiss. ipso Archiepiscopo recognoscantur, iuxta Decretum Concilij Prouincialis Secundi; quæ verò nullam Regulam habent, ab eodem Archiepiscopo

po eam sumant quanto citius.

Conuiuia ex Sodalitatis alicuius facultatibus, aut elemosinis fieri solita, nullomodo in posterum celebrentur.

DECRETA suprascripta generalia, item particularia suo quæque loco posita ad Pia loca pertinentia, vt executioni omnino demandentur, efficiat Reuerendiss. Archiepiscopus.

ATQVE hæc quidem omnia, quæ tam priuatis, tum communibus Decretis continentur, non tam ad novas leges condendas, quam ad vetera Illustrissimi ipsius Ordinarij Statuta executioni planè demandanda, conscripta sunt.

CAETERA, vt in Concilijs Prouincialibus, Diocesanis Synodis, & impressis Illustriss. ipsius Ordinarij instructionibus, Generalibusq; Admonitionibus, & Edictis; quæ cuncta, vt piè ac prudenter composita, magnopere comprobantur: quibus etiam ea in dies addenda, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam quotidie magis augendam, & illi probatissimè (quantum fieri poterit) conformandam Spiritus Domini suggererit.

EX POENIS vel multis, quæ passim in huius Visitationis Decretis posita sunt, primum ea fiant (si præfinito tempore non erunt peracta) quæ decernuntur: tum quod erit reliquum in eius ipsius Ecclesiæ, in qua ea statuuntur, commoda, atq; ornamenta, vel in aliud pium vsum, Reuerendiss. Archiepiscopi arbitrio conuertantur: Vbi verò multa non est apposita, ab eodem Archiepiscopo, pro sua prudentia, & charitate apponatur.

DECRETORVM OMNIVM, tã particularium, quàm Generalium Visitationis huiusce executio, Illustriss. & Reuerendiss. D. Carolo Cardinali tit. S. Prædix Archiepiscopo summopere cõmendatur: de qua quidem executione reddere ipse rationem debebit, & Summo Pontifici, cuius nomine, atque auctoritate hæc visitatio facta est; & Christo Domino in die IVDICII.

L A V S D E O